

faciunt, vecturas curruum et evecciones multiplices bonis ipsis imponunt contra ecclesiasticam libertatem], possessiones ecclesiarum et personarum ecclesiasticarum devastant incendiis et rapinis, contractus inter clericos et laicos legitime factos ad libros civitatum villarum et locorum recusant inscribere et sigillare, donata ac legata ad fabricas et ecclesiarum structuras contra voluntatem prelatorum et aliorum quorum interest presumunt usurpare contra justiciam, in fraudem et odium clericorum¹⁾ confugientes ad ecclesias cimiteria [ac ad loca libertatis ecclesiarum] inde extrahere contra imperiales sanctiones presumunt. Cum igitur hec omnia et singula et quevis alia similia necnon quecumque secuta sunt et sequi possunt ex eisdem, sint et fuerint solum de facto ac temere attemptata et per sacras civiles et canonicas sanctiones reprobata expresse, nos ea omnia et singula de principum ducum comitum baronum fideliumque nostrorum consilio ex certa sciencia tenore presencium et auctoritate imperiali cassamus irritamus annullamus cassaue irrita et nullius esse momenti penitus declaramus dicimus et nunciamus expresse presenti edicto perpetuo²⁾ valituro, serius inhiabentes, ne huiusmodi aut eorum similia de cetero dicti domini temporales attemptare presumant, precipientes nichilominus sub indignatione imperialis banni universis et singulis dominis militibus consulibus potestatibus officiatis et in officiis publicis constitutis, quatenus mox visis aut intellectis presentibus dicta eorum statuta et ordinationes, sicut in prejudicium ecclesiastice libertatis edita sunt, omnino revocent et de luce tollant quodque secundum ea non judicent amplius nec sentencias dictent aut eisdem in iudicio vel extra quomodolibet per se et contra ecclesiasticam libertatem pociantur. Item pronunciamus et declaramus imperiali auctoritate, quod quicumque³⁾ cujuscumque status vel condicionis extiterit, ausu sacrilego et proprie temeritatis audacia sacerdotem vel clericum secularem vel religiosum diffidaverit proscrisperit captivaverit spoliaverit occiderit mutilaverit aut in carcere detinuerit aut huiusmodi maliciam perpetrantes scienter receptaverit seu consilium auxilium vel favorem in hiis eis prestiterit, [vel pro causa criminali vel civili questione in iudicium seculare et specialiter ad iudicium, quod dicitur Vrydinch⁴⁾], quod nulla temporis prescripcione vel regali seu imperiali edicto seu iudicii confirmatione contra personas ecclesiasticas seu clericos per quancumque consuetudinem introduci volumus, trahere

1) *clericorum* de rebus et bonis etiam clericorum, quas non causa negotiationis sed pro usibus propriis per terras ducunt seu duci faciunt, thelonium exigunt et recipere non verentur, et *confugientes*. 2) *perpetue* O. 3) *quicumque* laicus *cujuscumque*. 4) *Vrydinch* O., Freyding Minden.